

sancto, de Ecclesia et sequentibus : HIERONYMUS VERO et RUFINUS notant symbolum Apostolicum concludi articulo resurrectionis, et sic postremum de vita æterna abesse : unde nec *Romanum* dici potest Apostolicum, nec illi possunt intelligi de Apostolico jam vulgato. 3. Vox *Catholica*, Ecclesiæ in symbolo addita, neque in Aquileensi habetur, nec legebatur a RUFINO et S. AUGUSTINO; cum ille hanc vocem non exposuerit, iste autem declarationis tantum causa, in L. de Symb. ad Catechum. c. 6. n. 14. addiderit : quin nec verosimile est hanc vocem ab Apostolis esse appositam; tum quia modo post tempora Apostolorum Ecclesia fuit *Catholica*, h. e. universalis et per totum orbem diffusa : tum quia eo tempore Christiani necdum dicebantur *Catholici*, nec Ecclesia *Catholica*; ut scribit S. PACIAN. epist. 1. ad Sympronianum n. 3.

*Ad 1<sup>um</sup>*. R. *N. triplicem ejus partem*. In specie autem, *Ad 1<sup>am</sup>*. p. R. Falsum est imprimis tum temporis non fuisse natas hæreses, cum grassarentur *Simoniani*, *Cerinthiani* et *Ebionitæ*, et fidelibus obreperent pseudoprophetæ ac falsi fratres, ut notat S. Paulus in suis epist. Deinde poterant et volebant Apostoli fidei et Ecclesiæ consulere in futurum. *Ad 2<sup>am</sup>*. p. R. Similiter falsum esse quod Patres symbolo non fuerint usi ad refellendos Hæreticos, cum contrarium manifestum sit ex S. IRENÆO et TERTULLIANO. Præterea cum Patres impugnarent Hæreticos ex Scriptura, quam fere unam isti ad probationem admittebant, quæque articulos symboli clare continet, opus non erat confutare hæreses ex symbolo. *Ad 3<sup>am</sup>*. p. R. Cum symbolum Constantinopolitanum non sit diversum ab Apostolico, sed hujus tantum major explicatio contra novas hæreses, recitatione illius in Missa et hoc satis commendatur; quanquam Romana Ecclesia etiam Apostolicum ter saltem quotidie in Divinis Officiis, et in privatis precibus frequentissime recitet.

*Ad 2<sup>am</sup>*. R. Non TERTULLIANUS solum, sed et IREN. aliique, totum symbolum, ut ab Apostolis traditum, non exscribunt, sed præcipua aut plurima tantum capita, prout videbantur contra Hæreticos necessaria, reddunt; atque hinc etiam iidem variis in locis verba varia usurpant. Cæterum TERTULLIANUM ex industria etiam omisisse memorata, probabile fit ex ejus cum *Montanistis* commercio, qui peccata graviora irremissibilia contendebant, et Ecclesiam *Catholicam*, quam vel in tribus laicis conservari posse dicebant, injurioso *Psychiorum* nomine infamabant. Vitam æternam, quam non addunt HIER. et RUFINUS, legerunt AMBROS. et CHRYSOL. cum aliis. Præterea, ut notat S. THOMAS 2. 2. q. 1. a. 8. in 0., vita æterna pars est gloriæ spectans ad animam, quam profitemur per carnis resurrectionem de corpore; quin et ipse RUFINUS sic priorem de resurrectione articulum exposuit, ut in eo illum de vita æterna intelligi doceret.

*Ad 3<sup>am</sup>*. R. Concedunt aliqui τὸ *Catholicam* non fuisse additum symbolo Apostolico, cum hæc non sit nota nascentis et quasi infantis Ecclesiæ. Alii communius id negant, cum et CYR. HIER. in Catech. 18., CHRYSOLOGUS Serm. 57. et Auctor Tr. de Symb. (al. de Trinit. opp. S. Ambros. t. 2. part. 2<sup>a</sup>.) hanc vocem legerint. Poterant vero eam usurpare Apostoli; tum quod *Catholicam* non restringatur ad unam locorum universalitatem : tum quod Apostoli, præscii futuræ dilatationis per Orbem universum, hanc notam sine falsitate potuerint Ecclesiæ tribuere. Quantumvis autem salva maneat

S. PACIANI auctoritas, liquet tamen ex EUSEBIO L. 3. Hist. Eccl. c. 13. et 16. Christianorum Ecclesiam et a Smyrnensibus in epistola encyclica, et ab APOLLINARI HIEROPOL. jam ante nominatam fuisse Catholicam.

QUERES II. *An S. Athanasius auctor sit Symboli, quod incipit: Quicumque vult salvus esse etc.?*

83. *Nota I.* Quæstio hæc *meri facti personalis* est ac nullatenus, prout inter Criticos etiam Catholicos agitur, cum fidei dogmate connexa. Qui enim ex illis negant symbolum hujus auctorem esse S. ATHANASIAM, contendunt nihilominus id esse certissimam fidei regulam, ab Ecclesia et approbatam et fidelibus omnibus credendam propositam; ac præterea symbolum hujus doctrinam omnem, quoad sensum, contineri in S. ATHANASII operibus : qua ratione se distinguunt a Græcis schismaticis, qui olim impudenter dixerant symbolum hoc ab ATHANASIO ebrío atque aliorum Patrum omnium sententiam deserente fuisse conscriptum; item a *Socinianis* aliisque Romanæ Ecclesiæ hostibus, qui id symbolum *Satanasii* sacrilega ignominia dixerunt. Porro Critici negantes, de alio auctore nec ipsi inter se conveniunt; aliis nempe ANASTASIAM SINAITAM ex vocabulorum vicinitate divinantibus, aliis EUSEBIUM VERCELL. supponentibus, pluribus laudantibus VIGILIUM TAPSENSEM in Africa Episcopum; qui circa finem seculi quinti florens, cum fateatur in præfatione cujusdam dialogi se Dialogum adversus Arianos aliosque hæreticos sub nomine ATHANASII scripsisse, occasionem suspicandi dedit symbolum a se confectum nomine etiam ATHANASII insignivisse; quamvis de hoc nihil simile professus fuerit.

84. *Nota II.* Nec hic disceptatur, aut argumentum quoddam deduci potest ex *tempore et modo seu fine*, quo editum fuit hoc symbolum. Sicut enim ista controversia nihil obest veritati de symbolo ab Apostolis condito, neque etiam antiquitati symboli *Quicumque*, VIGILIO aut alteri cuidam asserti; sic nec obstare debet sententiæ, quæ symbolum postremum S. ATHANASIO vindicat. Porro quidam volunt sanctum hunc præsulem id conscripsisse in puteo Trevirensi, ubi diu latuerit ad Arianorum insidias declinandas : sed conveniunt plerique falsum hoc esse, et natum ex historia RUFINI, qui L. 1. c. 18. scribit ATHANASIAM per sexennium in cisterna sicca, in Ægypto tamen non vero Treviris, latuisse. Verosimilius alii dicunt ATHANASIAM id scripsisse, quando Romæ apud Julium Papam an. 339. ab Eusebiana factione petebatur calumniis, ac præter fas damnatus fuerat in Synodo Tyria; finem autem habuisse hunc, ut, exposita uberius sua professione, et declararet fidem et calumnias retunderet et injustitiam Conciliabuli ostenderet; ut innuunt Manuel Calecas L. 2. cont. Græcos et Baron. ad an. 340.

85. *Dico.* Omnino probabiliter teneri potest Symbolum memoratum a S. ATHANASIO fuisse conditum.

*Ratio est*, quia præter auctoritatem Ecclesiæ Romanæ, quæ illud symbolum in Officiis Divinis recitandum proponens, adhuc inscribit S. ATHANASIO; præter consensum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, Servianæ, Bulgaricæ, Russicæ ac Moscoviticæ, quæ, teste Joanne Sarmata in ep. 1. ad Calvin., idem

tenent tanquam genuinum et *Athanasianum*; præter sensum etiam communem Auctorum post seculum duodecimum fere innumerorum cum S. THOMA in hoc conspirantium, stant pro auctore symboli S. ATHANASIO testes licet non antiquissimi, tamen et ab antiquitate et ab auctoritate venerandi. Inter hos, quos plures recensent Monachi S. Benedicti e Cong. S. Mauri in Diatribe ad hoc symbolum, Tom. II. oper. S. ATHAN. inserta, præcipui sunt:

1°. Patres Conc. Augustodunensis, anno 663. vel 670. sub S. Leodegario Ep. habiti, qui hunc Canonem ediderunt (Labb. t. 5. p. 536. D.): *Si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus vel Clericus symbolum, quod, inspirante sancto Spiritu, Apostoli tradiderunt, et fidem S. Athanasii Præsulis irreprehensibiliter non recensuerit, ab Episcopo condemnatur.* Quibus eatenus jam præluxerunt Patres Conc. Toletani IV. (Labb. t. 5. p. 1703.) quod c. 1. quædam ex hoc symbolo protulerint.

2°. Idem præceptum dedere HATTO Basileensis Episcopus seculi noni initio, et sub ejus finem HINCMARUS Archiep. Rhemensis; THEODULPHUS vero Aurelian. Ep. seculo octavo et RATRAMNUS Corbeiens. Monachus et hoc symbolum ATHANASIO tribuunt, et ex eodem plura desumunt.

3°. Eodem, sub ATHANASII nomine, usi sunt Apocrisiarii, quos GREG. IX. Constantinopolim an. 1233. ad Græcos Latinis conciliandos miserat (Labb. t. 11. part. 1<sup>a</sup>. p. 326. C.). Denique EUGEN. IV. in decreto de unione Armenorum (Labb. t. 13. p. 539. B. C.) an. 1439. commemorat *compendiosam illam fidei regulam per Beatissimum Athanasium editam.*

*Conf.* Quia, præterquam quod argumenta opposita pleraque sint negativa ac simili fere modo contra symbolum Apostolorum intorqueri possint, patianturque instantiam in aliis sententiis Auctorum (uti Clar. Sandini contra *Nat. Alexandrum*, in edita de symbolo hoc dissertatione, ostendit), ea non sunt ejusmodi quæ probabilis responsione nequeant dissolvi.

86. *Nec dicas* 1°. Stylus sermonisque contextus ostendit symbolum esse hominis Latini, non autem Græci, qualis fuit S. ATHANASIVS. 2°. Deest in hoc symbolo vox *consubstantialis*, quæ tamen tessera erat Catholicæ fidei, cujusque professio urgebatur constanter a Catholicis. 3°. Ipse ATHANASIVS in ep. ad Antiochens. n. 4. et 5. testatur procul se abesse a nova fidei formula condenda, et laudat Sardicenses Patres, quod sanciverint nullam fidei professionem novam edendam; eo quod Symbolum *Nicænum* sufficeret hostesque fidei inde occasionem captarent criminandi, quasi *Nicæna* fides foret imperfecta. 4°. Hæreses post ATHANASIVM ortæ, Nestoriana scilicet et Eutychniana, diserte adeo et expresse refutantur in hoc symbolo, ut ejus auctor non potuerit non intendere illarum refutationem, atque hinc ætate posterior esse debeat.

*Ad 1<sup>um</sup>.* R. Præterquam quod in symbolo occurrant idiotismi græci, quales sunt: *resurgere habent*, pro debent; *per omnia* est veneranda, pro omnino; confiteamur *quia Deus et homo est*, pro Deum et hominem esse; certe si etiam symbolum dicatur latine scriptum, eo quod exemplaria latina concordent, cum ex adverso græca variant; nihilominus ab ATHANASIO conditum potuit, utpote qui latini æque ac græci sermonis peritus fuit, ut constat ex *Marcellino* et *Faustino* seculi quarti scriptoribus, qui in Libello Precum

affirmant ab ATHANASIO libros Luciferi Calaritani in græcum translatos fuisse.

*Ad 2<sup>um</sup>.* R. D. Vox illa deest quoad sonum et expresse C. quoad sensum et æquivalenter N. Profecto pluribus sententiis dogma illud explicavit, dum dixit trium Personarum divinarum æqualitatem, et unam ac eandem Deitatem, essentiam, potestatem etc. Cum autem hoc symbolum reliquos omnes articulos copiosius declaratos dederit, idem etiam de consubstantialitate observatum fuit.

*Ad 3<sup>um</sup>.* R. D. Abfuit a condenda, et laudat præceptum de non edenda fidei formula nova aut Nicænae contraria, aut ob illius imperfectionem adjicienda C. a formula nova Nicænae omnino consona, ac eam duntaxat explicante ac apertius proponente N. Priori sensu longissime aberat ATHANASIVS, et prohibuerant Sardicenses facere aut fieri aliam fidei formulam præter Nicænam: sicut autem ATHANASIVS, etiam Criticorum hic adversantium calculo, scripsit opusculum, quo exposuit fidem Catholicam, quod incipit: *Credimus in unum Deum*; sic scribere quoque potuit expositionem symboli, seu symbolum cum majore credendorum explicatione.

*Ad 4<sup>um</sup>.* R. D. Ejus auctor non potuit non intendere refutationem illarum hæresum quoad personas N. quoad errores T. Imprimis fatentur Adversarii symboli doctrinam in operibus ATHANASII reperiri; quin tamen inde similis objectio contra ea opera formari queat: Deinde *Nestoriani* ac *Eutychniani* erroris semina olim jam, teste EUTHYMO, parte 2. Panopliæ, a quibusdam jacta fuerant; unde eadem jam profligari poterant: Denique Spiritui sancto usitatum est, Ecclesiam suam munire adversus futuras hæreses, atque has etiam hodie natas Ecclesia, desumptis ab antiquitate ac traditione armis, confodere solet; nemo tamen audebit hinc Patribus sua negare opera, ex quibus illa tela capiuntur.

87. *Nec dicas* 2°. Hoc symbolum desideratur inter opera ATHANASII in antiquissimis et probatissimis Codicibus manuscriptis. *Item* neque ATHANASIVS neque ulli Auctores coævi aut qui ante seculum VII. scripsere, hujus symboli meminerunt: nec Patres Græci usi fuerunt hoc symbolo in Conciliis Ephesino ac Chalcedonensi contra Nestorium et Eutychem, quamvis ATHANASII auctoritas tum maxime valisset: nec Latini hoc telo pugnarunt contra Græcos orto schismate Photiano de processione Spiritus sancti: quod tamen certo faciendum præsertim a S. CYRILLO ALEXANDRINO videtur.

*Ad 1<sup>um</sup>.* R. Nec assertum verum est; cum in cit. Diatribe Patrum Benedictinorum numerentur amplius duodecim Codices ATHANASII nomen jam ab annis plus mille inscriptum ferentes, et alios addiderit *Michael Lequien* in diss. Damasc.; nec si verum foret, quid evinceret, cum symbolum a coævis vel supparibus scriptum, ut alia plura, possit esse deperditum, vel adhuc dum proferri in lucem, ut plura alia S. ATHANASII opuscula anecdota a *P. Bern. Montfaucon* publici juris facta sunt.

*Ad 2<sup>um</sup>.* R. Argumentum hoc utpote mere negativum, ex Adversariorum etiam recepta alibi opinione, probare parum. Adde, quod nec Scriptores Ecclesiastici meminerint semper editorum omnium opusculorum, nec scripta etiam omnia supersint, quæ opuscula hæc recensent.

Præterea sunt etiam, qui probabiliter defendant S. GREG. NAZIANZ. hujus

symboli jam meminisse. Is enim in Or. de laudibus S. ATHANASII n. 33. hæc habet : *Primus ille* (Athanasius) *et solus, aut cum admodum paucis, veritatem palam apertisque verbis promulgare non dubitavit, unam trium personarum divinitatem et essentiam scripto confessus : et quod nullis illis Patribus circa Filium prius concessum fuerat, idem ipse postea in asserenda Spiritus sancti divinitate superno afflatu consecutus : atque Imperatori (Joviano) donum vere regium et magnificum offert.* Hæc vero verba contendunt intelligi non posse de symbolo Nicæno, sed de alio expressius damnante hæresin, postea *Macedonianam* dictam, et apertius contestante Spiritus sancti divinitatem : neque etiam intelligi posse de epistola, cui fides Nicæna fugit inserta ; tum quia NAZIANZENSIS non loquitur de epistola sed confessione : tum quia epistola illa brevis, et inclusi symboli Nicæni bajula forte dicenda, non videtur donum vere regium et magnificum. Quanquam vero Theodoretus et Nicephorus testentur Joviano transmissam fuisse ab ATHANASIO fidem Nicænam, ejus tamen nomine venire potest Athanasianum symbolum, utpote fides Nicæna duntaxat amplius declarata, et quidem id exigente Imperatoris voluntate ob exorientem tum *Macedonii* hæresin.

*Ad 3<sup>um</sup>.* R. Nec hoc argumentum ex silentio desumptum valide quidpiam probare ; quia alias nec epistolæ ad EPICETUM Corinth. Ep. et ad Jovianum ab ATHANASIO scripta, nec alia ejus opera essent genuina, ex quibus, licet illæ hæreses impugnari poterant, tamen a Patribus illis non fuerunt impugnatæ. Ratio itaque silentii apud Græcos esse poterat, quod symbolum hoc illis adhuc incognitum vel saltem sub ATHANASII nomine necdum cognitum esset ; id quod de scripto privato mirum videri non debet, cum S. AUG. ep. 110. (al. 213. n. 13.) ipse de se fateatur, Canonem, quo Patres Nicæni prohibuerant, ne prædecessore vivente alius jam Episcopus successor initiaretur, palam et in OEcumenico Concilio latum ignorasse. Licet vero id forsantempore Photiani schismatis non amplius tenuerit ; ATHANASII tamen symbolum necdum universali auctoritate ab Ecclesia donatum fuerat, cujus facti epocha, utut incerta, tardior tamen statuenda videtur.

## ARTICULUS II.

## AN ARTICULI FIDEI CATHOLICÆ SINT EVIDENTER CREDIBILES ?

88. *Nota I.* Credibilitas est motivum extrinsecum, ut aliquid firmissime credatur tanquam a Deo revelatum : fundatur in motivis, quæ primario et immediate tendant ad persuadendam existentiam revelationis divinæ, secundario autem et mediate ad persuadendum illud esse verum : spectari autem credibilitas ista potest vel *absolute* ac sine comparatione, an sit major vel minor respectu oppositi ; vel *comparative* ac *relative* ad aliud. Utraque consideratio hic a nobis adhibetur. Porro sectæ Religioni Catholicæ oppositæ reducuntur ad tres classes : 1<sup>a</sup>. Est *Paganismus*, et est illorum qui nec Vetus nec Novum Testamentum admittunt, cujusmodi sunt Athei, Polythei, Mahumetani : 2<sup>a</sup>. *Judaismus*, et est eorum, qui, Veteri Lege admissa, respuunt Novam, aut Messiam adhuc expectant : 3<sup>a</sup>. *Hæresis*, et est illorum, qui utrumque Testamentum quidem credunt, sed non eo modo, quo Ecclesia vera, quæ est executrix Testamenti ac fidei regula,

89. *Nota II.* Motiva credibilitatis pro Ecclesia et fide Catholica ad tria capita referri possunt. *Primum* est triplex doctrinæ, quam Ecclesia proficitur, conditio, veritas nempe, sanctitas et efficacia. *Veritas* quidem in plurimis rationi maxime consentaneis elucet per sese ; in supernaturalibus autem tum ex convenientia ad Deum et ejus excellentiam, tum ex testibus aliisque modis probantibus assensum etiam præstandum iis, quæ captum excedunt : *sanctitas* perspicitur tum ex ipsis legibus et præceptis religionis, tum ex hominibus ejusdem cultoribus accuratis : *efficacia* denique intelligitur ex admirando modo, quo primum introducta, dein per totum mundum propagata, ac tandem inter tot difficultates semper servata fuit. *Secundum* est testium auctoritas, consensus ac multitudo : præter Christum enim fidei Auctorem testimonium ferunt Patriarchæ et Prophetæ, quorum figuræ ac prædictiones in Christo atque ejus Ecclesia expletæ sunt, Apostoli, Doctores, Martyres ac Confessores omnes, qui tum prædicatione et scriptis tum opere ac perpassionibus veritatem fidei confirmarunt. *Tertium* sunt miracula fere innumera, quæ in fidei confirmationem seculis omnibus patrata sunt : quo etiam pertinet potestas a Christo Ecclesiæ tradita in dæmones, fatentibus ipsis se vel invitos a corporibus expelli.

90. *Nota III.* Evidentia est quasi videntia seu visio objecti, quod intellectui proponitur, ac si illud præ oculis haberet : unde ultra certitudinem importat specialem claritatem, ex cujus defectu actus fidei licet metaphysice certus tamen non est evidens. Communiter dividitur in objectivam seu fundamentalem et formalem. *Objectiva* est apparentia objecti tam clara, ut intellectum attendentem et proposita sibi penetrantem convincat seu necessitet ad assensum independentem ab imperio voluntatis, eaque vel est *immediata*, quando clara apparentia ipsius objecti in se habetur, vel *mediata*, quando est talis apparentia in alio ; quo sensu argumenta et rationes, ex quibus aliqua res clare deducitur, dicuntur evidentia fundamentalis et objectiva. *Formalis* est ipse actus intellectus, quo iste ita clare apparens objectum percipit. Utraque subdividitur in *metaphysicam*, *physicam* et *moralem*. In harum explicatione variant Auctores, dum alii communius illas explicant per impotentiam metaphysicam, physicam et moralem, ne illi apparentiæ subsit falsum ; alii per impotentiam dissentienti metaphysicam, physicam et moralem ; alii tandem eas distinguunt ex motivo metaphysice, physice vel moraliter connexo cum veritate.

Porro de *evidentia morali* majus etiam est dissidium. Communior sententia videtur supponere quod de ratione *evidentiæ propriæ* generatim sit, intellectum ita convincere, ut ratione claritatis excludat omnem formidinem etiam imprudentem de opposito, dummodo expendantur et penetrentur termini vel motiva. Atque hoc videtur desiderare ipsius vocis etymon ; unde sicut posita applicatione oculi non possum suspendere visionem objecti visibilis, sic posita applicatione intellectus ad objectum evidenter apparens, non possum suspendere assensum, et consequenter nec formidare. Accedit præter alias rationes etiam differentia, quæ est inter probabilitatem, certitudinem et evidentiam ; cum enim, sola probabilitate posita, possim prudenter formidare de opposito, et hinc requiratur imperium voluntatis, ut inclinetur intellectus potius ad hoc, quam ad illud : posita autem sola certitudine, intellectus